



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio III. De Divisione in Actum indifferentem bonum vel malum
essentialiter, aut accidentaliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

bona qualitas mentis quae nemo male utitur. Quando autem sit actus virtutis supernaturalis sed malo fine, male tunc utimur virtute.

RESPONDETUR. Cum nonnisi extrinsecè ille actus sit futurus malus, & intrinsecè bonus; nec dum virtute quisquam male utetur. Unde admittimus duplex motivum, extrinsecum in ipsa scilicet vana gloria inclusum, & motivum intrinsecum formalis v. g. amorem, dicimusque: Si sit motivum intrinsecum bonum, hoc est motivum, sine quo impossibile est poni illum actum; & ipse actus, erit bonus.

INSTABIS I. Bonum est ex integra causa, malum verò ex quocunque defectu. Ergo ille actus erit simpliciter malus.

RESPONDETUR. Bonum esse ex integra causa quoad prædicata intrinseca actus, licet quoad extrinseca sit aliquis defectus. Neque valet si dicas, quod sit extrinseca actui prohibitio, tempus, & similia, & tamen hæc omnia vitiant actum. Ergo idem dicendum de illa mala intentione. Nam sunt quidem hæc extrinseca actui physice, sed non extrinseca moraliter, non enim est extrinsecum actui malo, fieri contra prohibitionem, quæ etiam prohibitio formalis malitiam. Actio autem virtuosa supernaturalis intrinsecè non est mala, quamvis sit dissonum imperium, quod illam imperat, quod imperium non formalisat illam intrinsecè.

INSTABIS 2. Actio quæ essentialiter pendet à mala intentione, non potest esse bona, ille autem actus supernaturalis essentialiter pendet à mala intentione.

RESPONDETUR. Majorem esse veram de actionibus, quæ insuper in se non dicunt motivum intrinsecum bonum. Ad Min. dici potest, quod per accidens sit illud imperium, & nonnisi actui reduplicativè accepto essentielle.

INSTABIS 3. Circumstantia finis est potissima in objecto. Ergo cum fine malo, non potest esse objectum bonum.

RESPONDETUR. Finem & motivum intrinsecum, esse circumstantiam potissimam in objecto, non autem finem extrinsecum. Amor autem v. g. Dei, habet aliud motivum intrinsecum, & non vanam gloriam.

OBJICITUR 5. à pari.

I. PARITAS est: Actus exterior imperatus est malus malitiâ imperantis mali. Ergo & actus ille supernaturalis, erit malus malitiâ imperantis. Ergo cum non possit esse malus actus supernaturalis, non poterit imperari ab actu malo.

RESPONDETUR. Cum non habeat actus exterior propriam suam bonitatem, debet denominari malus, vel bonus nonnisi ab interno imperante. Hinc si imperans sit malus, etiam derivabit malitiam in externum. Cum autem internus actus, habeat malitiam & bonitatem propriam, sicut & propriam libertatem; pote-

rit in conditionem boni vel mali per sua intrinseca transire.

2. PARITAS est. Actus bonus non potest imperare malum. Ergo nec malus bonum.

RESPONDETUR. Si actus bonus imperaret malum, esset bonus, ut supponitur: non esset autem, quia actus cuius objectum est malum, quod prosequitur voluntas; & ipse est malus: potest autem actus malus habere objectum bonum, esse tamen malus, eo quod non debito modo illud bonum appetatur. De actu autem habente simul motivum bonum & malum infra dicetur. Fufius de hac objectionem tractat Arriaga n. 23.

3. PARITAS est, ab effectu malo causa vocatur mala. Ergo & è contra à causa mala, denominabitur effectus simpliciter malus.

RESPONDET Arriaga, disparitatem esse: quia causare malum, est simpliciter malum, ponitq; illa causa malitiam, etiam in effectu, qui postea etiam denominat suam causam malam: jam autem causare bonum, non est quid malum: hinc illud bonum, non refundet malitiam.

QUÆSTIO III.

De Divisione in Actum indifferentem bonum vel malum essentialiter, aut accidentaliter.

O Rdo inferius ponendorum titulorum sequetur ordinem jam factum.

DIFFICULTAS I.

An dentur Actus indifferentes.

Nomine actuum indifferentium per PP. antiquos veniunt opera, quæ nec sunt meritoria, nec demeritoria, adeoque naturalia. Et ita Hieron. epist. 19. ad August. cum numerasset aliqua opera naturalia; subdit: *Hoc nec bonum, nec malum est, si ve enim feceris, si ve non feceris; nec iniustitiam habebis, nec iustitiam.* In præsentia non est de hoc ulla quæstio. Sed procedit de hoc: An dentur in specie, & individuo indifferentes actus? Nomine autem in specie indifferentium actuum veniunt actus, qui versantur circa objectum secundum se, nec bonum, nec malum, ut hanc vocem explicat, Ripalda d. 69. n. 1. Nomine autem actus indifferentis in individuo, venit actus exercitus, qui neque sit bonus neque sit malus. Unde prior actus ad objectum attendit, posterior ad modum versandi, & actus in se spectati conditionem.

Non est dubium dari actus indifferentes in specie, estque communis Theologorum cum S. Th. 1. secundæ q. 18. a. 8.

RATIO. Tum, quia actus versantes circa objecta neque bona in se, neque mala in se, sunt actus indifferentes in specie, ita enim definiuntur. Sed dantur actus circa talia objecta: sic enim præscindere mystaces, neque est bonum in se

in se neque in se malum. Ergo: Tum quia, si non dantur objecta indifferentia in specie; nullum poterit fieri præceptum de novo, cum posset non fieri: hoc non potest dici, cum de factis talia præcepta essent. Seq. probatur, si enim esset illud præceptum de novo factum, vel faceret objectum illud bonum ex malo, vel malum ex bono, cum nullum jam esset indifferens, sed non potest fieri bonum ex malo ex se, nec malum ex bono ex se, idque ex vi præcepti. Ergo nullum esset præceptum de novo factum. Tum, quia ex una parte non implicat talis actus, ex alia parte etiam objecta talia inveniuntur. Ergo poterunt dari, & actus indifferentes in specie.

Tota Difficultas: An dentur actiones in individuo indifferentes. Negat illos communis sententia Thomistarum cum S. Th. cit. a. 9. & de malo q. 2. a. 5. quibus accessit Granado, Tann. Valent. Bellarm. Azor, omnes apud Oviedo tr. 4. contr. 7. n. 64. quam etiam sententiam docet Esparza hic q. 27. Oppositum sentiunt Scotistæ cum illis Vasq. Hurt. Oviedo cit. & Arriaga disp. 21. n. 42.

DICENDUM est. *Non dari actus indifferentes in individuo.*

PROBATUR I. Quia & essent indifferentes in individuo ut supponitur, & non essent: quia vel fierent illi actus ex deliberatione: vel non fierent: si non fierent ex deliberatione, non essent humani, adeoque neq. actus, de quibus hic quæstio: quia hic quæritur de actibus humanis, in individuo tamen indifferentibus: si autem fierent ex deliberatione, proponeret ratio posse illos rationabiliter fieri, & tales actus sunt boni, si autem proponat ratio non posse illos rationabiliter fieri, jam essent mali.

RESPONDET Oviedo n. 80. Hominem eo ipso, quod rationalis est, debere sua opera metiri regulâ rationis, antequam ea exerceat, ex vi cuius mensuræ, distinguitur homo in modo operandi, à brutis; semel autem hac mensurâ factâ, licet illi exercere omnia, quæ positivè contra rationis regulam non invenerit, etiam si juxta illam positivè esse non deprehendat, sed tantum à ratione permittit.

CONTRA est. Tum, quia si homo regulâ rationis omnia opera sua metitur; Ergo & illa indifferentia in individuo, adeoque non erunt jam indifferentia in individuo: quia opera formalisata à regula bonæ actionis, sunt bona, facta autem secundum mensuram rationis opera, sunt opera formalisata à regula bonæ actionis. Tum quia, quando dicit, illa opera non esse juxta rationem positivè, sed solum permittivè, quæro vel judicat ratio posse adhiberi actiones permittas à ratione, vel non judicat: si non judicat, ergo sunt mala: si judicat, ergo sunt bona: ita ut ratio permitti, sit non nisi materialis, formalisetur autem à regula rectè operandi, nempe ratione dictante, hæc adhiberi posse, licet

sufficiat, non ita clarum, ad hoc, prædictum iudicium. Tum, quia datur aliquis actus bonus idè, quia regulatur dictamine rationis. Ergo etiam actus, quem tu appellas indifferentem in individuo, & permittum à dictamine rationis, erit bonus: quia utrobique idem formale.

Ad discutiendam vim hujus rationis, posset quæri: An motus primi debeant dici boni moraliter? Si dicas, nihil esse bonum moraliter, nisi liberum, non erunt illi actus boni moraliter: quia non sunt liberi. Si autem concedas, etiam actus necessarios esse bonos moraliter, per actus bonos moraliter intelligendo actus humanos, sic actus illi non erunt boni moraliter: quia actus humanus, est actus secundum deliberationem, illi autem actus, sunt indeliberati: De quibus ipsis adhuc restat quærere: An sint indifferentes in individuo? Quod non sint: Ratio: Quia dantur motus primò primi etiam supernaturalis, vocanturq. Gratia, quæ est in nobis sine nobis; quomodo autem supernaturalia, non sunt bona? Sed hæc ratio non convincit. Quia si darentur actus in individuo indifferentes naturales; possent per nos dari etiam supernaturales, totaque illorum bonitas esset in ratione Entis, non in ratione Moris: Ita & in præsentia contingeret. Rursus ideo illi actus possent dici non indifferentes in individuo: quia non vetat ratio illos haberi; cum sciat ab illis inchoari debere deliberationem. Sed ad hæc omnia salvanda sufficeret illos esse indifferentes: remota enim non nisi ratio circa illos versatur, utpote tanquam circa indeliberatos: habereq. se ad illos illud dictamen sicut dictamen de malitia operationis. Quod si hic & nunc non relinquitur, malitiam non adfert.

Neque valet si dicas illos motus, si sequatur bona operatio fore bonos: si mala; malos: Nam non est ratio cur reddantur boni vel mali cum jam sint transacti. Deinde si sunt mali casus sequentis malæ operationis; Ergo, Deus illos injicere non potest: Et tamen prima cogitatio habet determinationem à Deo, vires bonæ fortunæ supplente.

Indecisum hoc relinquo. Transito autem: An actus primò primi sint indifferentes. Neg. Conseq. Disparitas est: quia in actibus indeliberatis non habetur forma, quæ illos constituat in ratione boni vel mali: neque dictat positivè ratio, posse illos poni vel non poni: jam autem in omni actu deliberato, dictat ratio, illum posse poni vel non poni, consequenter habetur, quod illum actum deiciat à ratione indifferentis.

PROBATUR 2. Tum, quia actus aliquis A indifferens secundum speciem, factus intentione bona supernaturali, habet meritum. Ergo etiam si fiat intentione hac, quia licitum est sibi illum ponere, erit etiam actus bonus, & oppositus illi malus: nullus autem actus indifferens

per te est, qui licet poni non possit. Tum quia, qui exercet libertatem suam, modo sibi licito, bene facit; aliis si male ageret, non faceret modo sibi licito. Sed qui ponit actionem indifferentem in individuo, ut tu dicis, facit modo sibi licito; Ergo facit illam bene. Ergo & ipsa est determinata jam ad bonum. Tum quia, quando opera ceteroqui indifferentia intenduntur ex bono aliquo fine, & ratione ejus evadunt materia præcepti, si fiant illa opera erunt bona. Ergo etiam si fine hoc fiant, quia illa ponere licet, & quia dicitur ratio talia posse usurpari, bona erunt: quia operari secundum dictamen, est ratio generica boni. Et si opus ceteroqui malum modo putetur esse bonum, evadit ex subjecto bonum; multo magis actio illa indifferens erit bona, si putetur secundum dictamen rectæ rationis, posse illam poni.

PROBATUR 3. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Ergo nec ponendi actus, præter bonos & malos, indifferentes in individuo, cum illorum ponendorum, non sit necessitas.

CONFIRMATUR. Verba otiosa sunt mala per Evang. Ergo & opera prædicta si darentur, essent mala, adeoque non indifferentia in individuo. Conf. probatur. Quia eadem est ratio utriusque.

RESPONDETUR 1. cum Chrysost. Theophylacto, Maldon. Vasquez etiam citato cap. ult. & post illos Arriaga cit. n. 43. nomine verbi otiosi intelligi verbum nocivum, detractivum, mendax, calumniosum, hinc non immerito de illo reddituros homines rationem.

Colligit hoc Arriaga ex ipso Evangelio. Nam cum Christus dixisset, Matth. 12. *progenies viperarum quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* Subjungit de reddenda ratione de omni verbo otioso, quod ad propositum non fuisset: nam ad significandum quod homo sit fraudulentus, lires, & odia fovens, parum refert, quod interdum inutilia sibi & aliis proferat.

CONTRA est, quia Hier. Basil. Greg. Bern. facientibus etiam oppositis, definiunt verbum otiosum, quod sine loquentis & audientis utilitate profertur, cui auctoritati accedit communis sensus & suppositio istius vocis jam recepta. Argumentum autem Christi videtur esse à minori ad majus, si verba otiosa judicanda sunt, multo magis quæ indicant prævum animum internum.

RESPONDET 2. Oviedon. 79. Quod scilicet verbum otiosum sit, quod nec ob commoditatem aliquam naturæ, nec ob honestam causam producit. Adducitque Joan. Sanchez quod dicere, sole v. g. fervente, dies calidus est, non sit verbum otiosum, additque ex eodem, quod rarissime proferatur verbum otiosum, quod peccatum sit, præcipue in hominibus prudentibus: cum ferè semper enuntietur ob aliquam

naturæ commoditatem, ad eam v. g. sublevandam, complacendum amicis, ostendendam dexteritatem ingenii, ad vitandum silentii molestiam, non ob prævum finem, ne agreitis quis judicetur non confabulans &c. Verbum ergo erit otiosum dictum ob meram garrulitatem. Quod ipsum resolvit Arriaga in hoc principium: quia homo qui rationalis est, tenetur operari ob aliquem finem bonum, saltem physicè, si non moraliter, quod non servatur in verbo otioso.

CONTRA est. Quia verbum erit otiosum, adeoque malum, si homo non operetur ob aliquem finem ceteroqui bonum; Ergo & factum indifferens in individuo, erit etiam malum, si non sit ob aliquem finem ceteroqui bonum, vel si sit ob illum finem erit bonum. Ergo nullum datur indifferens in individuo.

OBJICIT 1. Oviedo cum Vasquez. Dantur actus ex sua specie indifferentes. Ergo dantur & in individuo indifferentes: quia hi cum nullam ex objecto malitiam habeant, & nullum aliud caput est, ex quo illam trahant, debent esse in individuo indifferentes.

RESPONDETUR. Dari fundamentum quare aliqui actus sint in specie indifferentes: Nempe quia sunt circa objecta, quæ possunt bona vel mala actione exerceri; nullum autem est fundamentum salvans actiones indifferentes in individuo. Caput autem unde sumunt bonitatem vel malitiam, est, quod fiant, vel non fiant modo rationali, quæ formalitas est intrinseca actibus humanis. Unde illa bonitas, vel malitia, non peteretur ex objecto, sed ex formalitate transcendentali modi agendi inclusibilis in omni actione humana; ita ut non sola omissio operandi humano modo sit mala, sed etiam ipsa operatio sine tali modo, sit mala; quia tunc tantum omissio alicujus, est mala, & non operatio, quando non est defectus prædicati intrinseci & transcendentalis in actu ad illum reddendum bonum: fieri autem humano modo, est tale prædicatum.

Aliaphrasi dicta Consequentia probatur, quia scilicet cum non possit dari species in individuo, si dantur actiones in specie indifferentes, debent dari & in individuo indifferentes. Sed hoc non convincit: nam potest dari species per Thomistas sine individuis. Deinde hoc sensu dantur actus in specie indifferentes, quia sunt versantes circa objectum, in se nec bonum nec malum. Sed non eo sensu indifferentes, quasi datur collectio aliqua actuum individuatorum, neque bonorum, neque malorum.

Neque valet si dicas, per nos concedi non nisi actus in genere indifferentes, non autem in specie: quia species desumuntur ab objectis; cumque hic indifferentiam ostendamus ex objecto, sit, ut ostendamus indifferentiam in specie.

OBJICIT 2. Arriaga. Non debemus voluntati ullam obligationem imponere sine ullo fundamentum.

P.
MLOD
WSKI
A. e. Z.
VI

damento. Ergo pro sua libertate poterit etiam actus in individuo indifferentes ponere.

RESPONDETUR. Fundamentum esse hoc, quia non est liberum voluntati, ut sine culpa, humano modo non operetur, quo modo si operetur, bona erit actio, adeoque nulla indifferens.

OBJICIT 3. Idem. Fricare caput ob naturam commoditatem, neque est bonus actus: quia ut alii urgent, non fit ex motivo virtutis: nec est laude dignus: nec est materia voti: non etiam est actus malus, quia alias caderet sub absolutionem.

RESPONSUM in Ethicis fricationem capitis factam ob naturam commoditatem, esse bonam: quia conformem dictamini rationis, dictantis faciendum aliquid, ob naturam commoditatem. Consequenter esse etiam hoc laudabile; quamvis id usus non ferat: eo quod laudanda censuerunt homines debere esse singularia. Suar. Lib. 2. de voto c. 4. n. 5. censet actum ex sua specie indifferentem posse esse materiam voti, modo ei adjungatur bona intentio.

OBJICITUR 4. Actus fricandi caput sine fine praedicto, nulli opponitur virtuti; Ergo non est malus.

RESPONDETUR. Esse illic oppositionem ad dictamen rationis, quidquid sit, an detur specialis virtus, ad talia dictamina attendens.

OBJICITUR 5. Multi actus exercentur ex opinione probabili, sed hi sunt indifferentes in individuo.

RESPONDETUR. Negando Minorem, quia rationabile est sequi opinionem probabilem.

Quid sentiendum de Actibus supernaturalibus?

RESTAT decidendum, an dentur actus indifferentes in specie & individuo supernaturales tamen? Suar. dicit 1. 2. Tr. 3. d. 9. s. 2. hanc questionem se primum movisse; sed Ripalda disp. 64. dicit, se illam exposuisse discipulis 1624. cum tamen suum illum tomum ediderit Suar. 1628. Quidquid sit de historia, negat cit. Suarez, posse dari actus supernaturales in specie indifferentes cum Turriano & Salaz; licet hic loquatur cum aliqua distinctione. Affirmat Ripalda cit. & Oviedo n. 46. cum Arriaga n. 27.

Ad decidendam Difficultatem

NOTO 1. Non implicare actus supernaturales in specie indifferentes. Ratio: Tum, quia ex una parte, ut suppono ex materia de supernaturalitate, Actus supernaturalis non requirit objectum supernaturale: quo posito: si dantur objecta actus naturalis, quae nec sunt bona vel mala; poterit dari actus supernaturalis circa illa versans, adeoque indifferens quoad speciem. Unde est argumentum à pari: Potest esse actus naturalis indifferens quoad speciem; Ergo & actus supernaturalis poterit esse talis. Tum, quia hoc, quod est praescindere mystices ob re-

verentiam sumendi caecis, potest esse actus supernaturalis, & tamen versans circa objectum de se nec malum nec bonum. Tum, quia immerito nos patres spirituales ad minutias operum Deo offerendas instigarent, si illae ut plurimum indifferentes ex objecto, non possunt exerceri actione supernaturali.

NOTO 2. Non dari tillos actus supernaturales indifferentes in individuo. Tum, quia non dantur naturales ejusmodi; Ergo nec dantur supernaturales. Tum, quia Patres, quando loquuntur de actionibus supernaturalibus, loquuntur semper de iis tanquam de bonis. Tum, quia congruit, ut ea, quae optimus artifex Deus tanquam causa specialis facit, sint bona, ostendantque artificem.

NOTO 3. In alio rerum ordine, supposito, quod possint fieri actiones humanae, & tamen in individuo indifferentes, posset dari actio supernaturalis in individuo indifferens. Ratio, tum quia ex una parte dari posset actio naturalis in individuo indifferens: ex alia parte non esset ratio, cur non etiam posset fieri supernaturalis. Tum quia, quod Deus non possit esse causa supernaturalis peccati; verat ejus Sanctitas: quia non potest esse causa specialis mali: sed quare non potest esse causa specialis, rei indifferentis? Tum, quia nec ex ratione generica, ut sic supernaturalitatis habetur, ut sit aliquid bonum moraliter; dantur enim de facto supernaturalia, quae tamen non habent ullam honestatem moralem: qualis est actio conservativa quantitatis, sine omni subiecto. Nec etiam id habetur ex ratione specifica; quod enim hujus fundamentum? Ergo non implicabit actio supernaturalis in alio rerum ordine indifferens in individuo, si ceteroqui talis actus non repugnet in ordine naturali.

DIFFICULTAS II.

De Bonitate vel Malitia Actuum ex Circumstantiis.

PRÆMITTO 1. Frequenter meminisse Aristotelem *Circumstantiarum*, illas, appellat singula in quibus est actus. Quenam autem sint ista singula, sic explicat 3. Eth. c. 1. Considerandum igitur est, quid & quis, & circa quid, aut in quo agat. Interdum etiam quo instrumento, & cujus causa, ut salutus; & quomodo, ut sensim an vehementer: haec enim omnia, nisi insanus sit, nemo ignorat. Infra autem subdit: Cum in omnibus igitur his, in quibus est actio, ignorantia contingat; sit, ut qui aliquid ex his ignoraverit, invitus egisse dicatur. In hoc textu duo videntur esse Contradictoria: Nam affirmat Aristoteles, has etiam circumstantias neminem ignorare nisi insanum, ponit postea in his omnibus ignorantiam contingere. Priori parti soli insitit Vasq. 1. 2. d. 30. n. 12. ex quo infert, Aristotelem non eo sensu accepisse circumstantias, quo Theologi; quia Theologi accipiunt illas

illas pro accidentibus actionis. Arist. autem non accepit. Quod probat Vasquez. Quia per circumstantiam Quis intelligunt Theologi non substantiam personæ, sed qualitatem, dignitatem, &c. Arist. autem intellexit substantiam personæ. Quia hæc sola non potest nisi ab infano ignorari: Cum tamen multi dignitatem suam & qualitatem ignorent. Idem probat de Circumstantia Qui d: Nam nomine huius apud Theologos venit solum prædicatum accidentis objecti, v.g. magnitudo, intensio &c. & tamen Arist. intellexit substantiam objecti: Nam in exemplum ponit prodictionem Mysteriorum Ceteris, secreti autem revelatio spectat ad substantiam actionis. Sicque de reliquis discurrit Vasq. Secundæ autem parti adhæsit cum communi post Suar. Arriaga d. 13. n. 3. interq; Arist. intellexisse circumstantias, quales cognoscunt Theologi: quia nomine Circumstantiæ Quis intellexit Aristot. id, quod aliquis ignorare non potest, ut ostendunt illa verba allata: Nemo autem substantiam suæ personæ ignorat, nec ignorat se esse lapidem, cum sciat se esse hominem. Posuit tamen Aristot. etiam Circumstantias, ex quibus in ipsis agentibus potest variari actio, sed non ex substantia personæ variatur, sed ex accidentali illius perfectione; Ergo hanc intellexit. Exemplum de revelatis mysteriis Ceteris non convincit: Quia ratio secreti potest esse accidentalis interdum circumstantia: ut cum scitur hoc vel illud aliquem dixisse, & nescitur, voluisse, hoc esse secretum. Circumstantia etiam filicidii potest esse accidentalis homicidio. Conciliat hunc utrumq; locum Arriaga, quod scilicet omnes simul circumstantiæ non possint esse ignotæ, licet possint esse ignotæ non nisi aliqua.

PRÆMITTO 2. *Quenam sit divisio Circumstantiarum.* Aliæ sunt circumstantiæ Physicæ, aliæ Morales. Et ita circumstantia est Physica manens occidisse, quæ non est moralis: parum enim refert, nisi fortè ex aliquo accidenti, ut si homicidia, magis sub crepusculum inhibeantur. Cum hoc tamen stat, ut sint aliqua accidentia physica, quæ respectu actus physici sint accidentia, respectu autem actus moralis sint essentialia. Sic v.g. libertas actui physico est circumstantia accidentalis, actui autem moralis essentialis. Rursus Circumstantiæ morales dividuntur in Circumstantias tenentes se ex parte objecti, & ex parte actus, tenentes se ex parte actus sunt illæ. Quis, Quid, Ubi, Quibus Auxiliis, Cur, Quomodo, Quando. Denique in Circumstantias mutantes speciem & aggravantes. His præmissis, sit

Punctum Difficultatis 1.

an dentur Circumstantiæ Actus moralis. Et quomodo neccantur cum Actu?

AN dentur Circumstantiæ actus, divisi sunt Auctores. Nam aliqui dicunt dari quidem

circumstantias actuum physicè spectatorum, sed nullas actuum moralium: eò quòd circumstantiæ actus moralis, sint verè specificativæ illius, & essentielles actui: Citatur pro hac sententia Alensis, Durand. Navarr. Alii concedunt circumstantias actui externo, non tamen interno, talis fuit Gabr. Occ. & innuit Durand. Differunt hæc duæ sententiæ inter se, quòd prior actui ut sic, modò physicè spectetur; tribuat circumstantias; adeoq; tam actui interno quàm externo. Posterior autem loquitur de solo externo actu, qui independentè ab interno, non habet proximè bonitatem vel malitiam, habet tamen fundamentaliter & remotè. Ad eum modum, quo unus paries albus, non est nisi fundamentaliter similis, licet non proximè & formaliter. Sed contra.

DICENDUM est. *Dari Circumstantias actuum humanorum moraliter spectatorum, easq; tam specificantes, quàm aggravantes.* Circumstantiæ aggravantes sunt verè circumstantiæ & per modum accidentium se habentes: Circumstantiæ autem specificantes, non sunt verè circumstantiæ & accidentia, quia tamen adveniunt actui jam in se cæteroqui specificato, vocantur circumstantiæ: ut eum sacrilegium advenit furto. Vel certè vocantur ex eo circumstantiæ: quia sunt accidentia actus humani secundum se spectati: sicut accidit animali rationalitas: Neque enim animal vi essentia suæ, est rationale.

PROBARI solet conclusio. Quoad hanc partem quòd dentur circumstantiæ mutantes speciem: quia usui corporum propter delectationem, accidentale est, quod sit aliena, vel non aliena; & tamen usus alienæ, est distinctus ab usu non alienæ. Sed

RESPONDERI potest. Hoc ipsum fuisse probandum, diceret enim aliquis actum cum aliena, ab actu non cum aliena, differre intra eandem speciem, sicut furtum majus & minus.

Quod autem dentur circumstantiæ aggravantes. Rationem communem dat Ov. T. 4. cont. 2. n. 23. Quia dantur circumstantiæ, quæ ad rationem actus moralis accidentaliter pertinent, eò quòd nec primò speciem constituent, neque novam malitiam specie distinctam adferant.

RESPONDERI etiam huic rationi posset, quòd illæ circumstantiæ non accidentales sint, sed specificantes actum moralem. *Hinc aliter*

PROBATUR 2. Conclusio Auctoritate S. Th. & tecepta doctrinâ jam in Scholis.

PROBATUR 3. ratione. Specie ea distinguuntur, quæ notabiliter distinguuntur, sed dantur aliquæ circumstantiæ notabiliter distinguentes, aliæ non notabiliter distinguentes; Ergo dantur circumstantiæ mutantes speciem, & aggravantes. Min. probatur: circumstantias aliquas facere notabiliter differre, est facere, ut

P.
MLOD
WSKi
A.e. Z:
VI

re, ut in actione vel objecto reperiatur aliquid tale, quod idem, vel illi aliquid æquivalens, non reperiatur in alia actione, vel objecto: Contra autem, aliquas circumstantias non facere notabiliter differre, sed solum aggravare; est non adferre actioni vel objecto aliquid tale, quod idem vel æquivalens non reperiatur in alio, sicut dictum est in Animalisticis. Sed dantur tales circumstantiæ. Quod ipsum probatur. Quia in simplici fornicatione est usus corporum, non secundum educationem prolis, nam in adulterio est etiam idem: quia tamen adulterium adfert circumstantiam usus non suæ, quam non habet fornicatio; fit, ut usus non suæ, sit circumstantia specificans. Jam autem quod sit uxor Pauli vel Andreæ, id non addit malitiam, sicut Paulus & Andreas inter se non distinguuntur specie. Et quamvis distinguuntur specie; ad considerationem moralem non adferrent prædicatum speciale. Sicut bestialitas non distinguitur specie, cum quocunque animali fiat. Jam autem si ve fureris decem, si ve viginti; erit circumstantia aggravans: quia licet hæc physice differant, in consideratione tamen morali nullum speciale prædicatum adferunt. Reliqua petantur ex regulis de discernendis his circumstantiis.

OBJICITUR 1. ex S. Th. 1.2. q. 18. a. 6. in corpore. Sed illo loco hoc tantum dicit S. Thomas, quod accidens respectu cuius est accidens, dare speciem non possit, secus respectu cuius non est accidens. Et ita iniustitia respectu intemperantiæ est accidens, secus respectu adulterii.

OBJICITUR 2. Quod est per modum objecti voluntatis, estque volitum, non est circumstantia respectu illius actus; sed quidquid augeret bonitatem vel malitiam debet esse per modum objecti voluntatis. Ergo

RESPONDETUR. Id quod respectu uno, potest se habere tanquam circumstantia accidentalis, potest etiam proponi tanquam circumstantia, adeoque & appeti, consequenter non erit motivum voliti, sed circumstantia motivi.

OBJICITUR 3. Nulla est regula discernendi, quod aliquæ circumstantiæ sint mutantæ speciem & aliæ aggravantes.

RESPONDETUR. Negando assumptum. Porro.

1. REGULA discernendi circumstantias specificantes ab aggravantibus traditur à S. Th. 1.2. q. 18. n. 11. in corpore. Quod scilicet circumstantia aggravans præsupponat jam malitiam, circumstantia autem dans speciem, non præsupponit illam malitiam sed adfert: Hoc ut defendatur; Tenendum est. Intemperantiam v.g. posse esse circumstantiam aggravantem, interdum circumstantiam mutantem speciem. Erit circumstantia dans speciem, si non præsupponat aliam malitiam ante se: Et ita, quia comedere multum, quamvis præsupponat come-

dere parum, quia illud comedere parum, non est malum sed bonum; fit, ut comedere multum sit circumstantia mutans speciem: non enim præsupponit malitiam ante se: Quia autem posito quod comedere 5. sit multum, evenire potest, ut quis comedat octo; Sed quia illa comestio 8. præsupponit ante se malitiam comestionis 5. fit, ut illa circumstantia comestionis, ut 8. sit nonnisi aggravans. Unde etiam malitia v.g. furti mortalis, cum non præsupponat ante se malitiam ejusdem rationis, hoc est malitiam mortalem; fit, ut acceptio multum det speciem. Sed supposito quod acceperis 10. quod est mortale, si accipias 20. erit circumstantia nonnisi aggravans: quia 20. acceptio præsupponit mortalem malitiam in acceptione 10. inclusam. Malitia etiam sacrilegii non præsupponit ante se irreverentiam rei sacræ, licet præsupponat acceptionem alieni: Unde fit, ut sit circumstantia mutans speciem.

2. REGULA quam ponit cit. Oviedo n. 25. Quæ regula in hoc tandem ultimo resolvitur, quod scilicet ea sint circumstantiæ mutantæ speciem, quæ dicunt diversam habitudinem oppositionis ad diversum principium, & ita usus non suæ in adulterio opponitur huic principio: non licet uti alieno, fitque; ut illa circumstantia sit mutantæ speciem. Quia autem eidem principio opponitur accipere mortaliter 10. & accipere mortaliter 20. fit, ut hæ circumstantiæ sint aggravantes.

3. REGULA est. Quam tradit Arriaga: Tunc à circumstantia extrahitur actus ad novam speciem, quando circumstantia est contra distinctam virtutem, ab ea, contra quam est substantia actionis: & ita circumstantia acceptionis rei sacræ, est circumstantia mutans speciem: quia extrahit actionem, ut cum deberet esse contra solam iustitiam, opponatur etiam religioni. Hæc regula indiget hac modificatione: quod scilicet hæc species debeat accipi quoad specificationem non subalternam, sed atomam: quia unus idemque actus peccaminosus est contra obedientiam & reverentiam Dei.

DICENDUM est 2. Actum internum bonum ratione objecti & circumstantiarum non posse transire in malum, nulla variatione posita, & e converso.

PROBATUR 1. Conclusio. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione, ut alibi probatum. Sed hic nulla esset mutatio; Ergo nec transitus à bono in malum.

PROBAT 2. Oviedo. Ut actus sit bonus, debet respicere honestatem objecti, adde & circumstantiæ, sed actus malus ex objecto, aut circumstantia afficiente objectum, non potest respicere honestatem propter ipsam. Ergo actus internus malus non potest transire in bonum v.g. nulla variatione posita.

PROBATUR 3. Quia si actus malus transiret in bonum, vel retineret suam malitiam, vel non

non retineret? si non retineret, ergo non ille esset, sed alius, si retineret; Ergo bonus non esset: quia bonum est ex integra causa. Mutatis tamen circumstantiis potest actus bonus moraliter esse, non moraliter bonus; Ut si fiat necessarium cum ante fieret liberè. Imò potest fieri malus moraliter accedente aliqua circumstantia: Sic eadem comestio ob sanitatem est bona, titulo disobediendi mala.

Ex occasione hætenus dictorum, inquiri solet: An quando non præsupponendo malitiam ejusdem rationis, & interdum nullam, sed illam adferendo, constituitur aliqua actio in ratione malæ, an inquam illud constitutivum in ratione malæ, sit adhuc verè circumstantia? Affirmat Arr. cit. n. 17. Negat Vasq.

Sed possent conciliari dicendo, quòd circumstantia illa si comparetur ad ipsum actum, qualis tunc absolute evadit, non sit circumstantia verè: licet sit verè circumstantia, si comparetur ad moralitatem antecedentem. Prioris partis ratio est, quia circumstantia verè non est de essentia actionis, illaque ablata, debet posse permanere, vel saltem intelligi, eodem modo quoad substantiam, se habere, illa actio: hic enim est conceptus verè circumstantiæ. Jam autem circumstantia, primò extrahens ad rationem malæ actionis, est de essentia illius actionis, illaque ablata, non intelligeretur esse mala. Ergo non est verè circumstantia.

1. Partis Ratio est. Quia si cogitet præcisè aliquis de hoc capite, quòd comedere carnes, pro sit illius sanitati, nihilque cogitet de die Veneris, hic actus habet suam moralitatem, desumptam ex honestate satisfaciendi sanitati, accedat advertentia, quòd dies ille sit dies Veneris, velit tamen comedere, hæc formalitas comparata ad priorem est verè circumstantia: Ratio, quia est verè accidens illius, habetque se ita sicut rationale ad animal, vel dulce ad album. Unde consequenter dici potest illam moralitatem posse manere, & advenire illi hanc alteram. Ratio, quia nulla est impossibilitas inter has duas moralitates, quin secum stare possint, quid enim repugnat talem actum fieri, est quidem hoc commodum sanitati, sed malum animæ, comedam tamen. Illaque moralitas comestionis propter sanitatem fuit bona in individuo & non indifferens, ut volunt aliqui.

Est quidem verum duplicem indifferentiam posse in illa comestione spectari; Prima est indifferentia, quòd possit motivo malo vitiari, hæc indifferentia fuit in illa comestione, tolliturque tunc. Alia indifferentia cogitari potest, quòd illa actio non fuerit facta secundum regulam bonæ vel malæ operationis, hæc autem indifferentia actuum in individuo jam est supra negata, sed fuit determinatio ad rationem bonæ actionis, quæ etiam tunc manet.

Est verum, quando unum elementum convertitur in aliud, non manere jam tunc elementum: quia non manet forma elementi: Sed in præsentia manet adhuc forma prioris moralitatis, nempe satisfaciendi sanitati, manens vel in se, vel in simili sibi actu.

Punctum Difficultatis 2.

Utrum Circumstantiæ, ut formalesent actum, debeant esse intentæ?

Alii eundem titulum sic proponunt: An ad bonitatem formalem actus requiratur tendentia in objectivam honestatem, propter illammet ipsam. Utraque quæstio est sibi affinis. Non debere intendi docet Sal. Montef. Lorca, Cornejo Hurt. Oppositum Vasq. Suar. Occ. Cont. 3. n. 25. Arriaga d. 15. n. 37. Tann. d. 3. q. 2. dub. 3. Utraque pars convenit in hoc, quòd illæ circumstantiæ debeant esse præcognitæ, idque ob rationes, quæ dictæ in materia de Ignorantia.

DICENDUM est 1. *Ut actus sit bonus circumstantia ex parte objecti se tenentes debent esse formaliter & directo volite.* Est difficilis ratio conclusionis inventu. Pensandæ erunt variorum Probationes.

RATIO 1. ex Arriaga d. 17. n. 31. Quia si illæ circumstantiæ directè non amarentur, nec amarentur indirectè, & tamen concedi debet saltem indirectè illas amari, quomodo enim spectarent ad voluntatem? seq. prob. quia cum independenter ab ea circumstantia supponatur bonitas in objecto, ratione cujus illud amatur, non possumus dicere, actum illum esse virtutalem ejus circumstantiæ amorem, nisi habeat aliquid de novo, ratione cujus in eam feratur.

RESPONDERI potest. Haberi illic aliquid de novo virtualiter ad actum: quod virtuale in hoc stabit, quòd scilicet ametur directè objecti honestas, quamvis advertatur ita circumstantionata, intervenitque tunc voluntarium indirectum.

RATIO 2. Quia plus requiritur ad bonitatem, quàm ad malitiam; Ergo, si sufficit ad malitiam indirectum voluntarium, requiretur directum ad bonitatem.

RESPONDERI potest. Illud plùs quod debet reperiri in actu bono, non esse determinatum: Unde quodcumque plus ostenditur satisfiet Axiomati, si fortè sit Axioma: nam de hoc dubitat Arr. citatus. Porro plus requisitum ad bonum in hoc stare poterit, quòd ad reddendum actum malum sufficiat vel una circumstantia mala, ad actum autem bonum non sufficit, sed debet esse bonum ex omni circumstantia. Rursus, omne bonum debet esse contractivum entis, debet adferre aliquid, quod in ente secundum se spectato non sit: quia autem malum non contrahit ens, & si contrahit, contra-

hit per defectum, adeoque nihil adferendo; fit ut plus requiratur ad bonum, quam ad malum.

RATIO 3. est Oviedi n. 42. Qui tribueret eleemosynam propter levandum miseriam pauperis, etiam si praevideret ratione eleemosynae acceptae à paupere, alia bona opera esse ab illo praestanda, malave vitanda, dum voluntas nullo modo curaret de bonis secuturis, actum meliorem moraliter non eliceret: quia objecta non tribuunt bonitatem actibus per imputationem, sicut tribuunt malitiam, sed per tendentiam positivam in ipsam honestatem.

RESPONDERI potest. Hoc ipsum negari, tribui honestatem per ipsam non nisi tendentiam in bonum. Adhuc autem hae circumstantiae distinguuntur à circumstantiis tenentibus se à parte operantis, ipsa sui conditione, licet convenirent in modo suae attingibilitatis, casu quo sufficeret utrasque indirecte attingere.

RATIO 4. est ab auctoritate Aristotelis 2. Eth. c. 4. quam proponit cit. Tann. ex variis versionibus.

RESPONDERI potest. Feliciani translationem dicere hoc solum, quod res non tantum bona & iusta fieri debeat, sed & bene & iuste: sed inde non probatur solum indirectum voluntarium, non sufficere ad derivandam honestatem.

Versio quā utitur S. Th. in Eth. hoc habet, quod ad participandam honestatem sufficiat, si qui agit, aliquo modo affectus agat: sed hoc verificaretur, etiam si ponatur indirectum voluntarium honesti. Argiropilus vult ut bonum quis sciens & eligens faciat: sed cur non sufficiet indirecte velle?

Difficilior est versio Perionii, quia ille dicit, quod debeat esse eligens propter ipsa. Sed concedi potest, illum quidem sic vertisse, Græcum tamen textum id non deposcere, tantum enim dicit, quod debeat esse eligens: stat autem electio, quamvis sit circa aliquid, non nisi indirecte versans. Fortè etiam Perionius ly propter ipsa accipit prout significat, quod eligens non debeat cogi ab alio, & non accipit ly propter ipsa opponendo illud ad volitum indirecte.

RATIO 5. Tanneri. Commune hoc est habitibus intellectualibus, ut actus ab illis elicit, non ferantur in suum materiale, nisi sub propria ratione motivā; Ergo idem dicendum de virtutibus, propria autem ratio earundem est ipsamet propria cujuscunque virtutis honestas.

RESPONDERI potest, argumentum probare, etiam malitiam objecti, debere semper intendi directe. Deinde sicut non semper objectum directe attingitur, & tamen salvatur formalitas cognitionis; Ergo etiam salvā ratione bonitatis poterit bonitas indirecte intendi. Denique disparitas dari potest, quia nisi objectum materiale attingat intellectus sub sibi propria ratione, non erit ullum specificativum actuum, & distinctivum eorundem: & ita si sub formali

Ethica, etiam Physica attingeret actus voluntatis, hoc ipso ille actus Physica, esset jam actus Ethica. Quamvis autem voluntas etiam indirecte attingat bonitatem, habebit sufficiens sui distinctivum. Unde quamvis non sufficiat ferri in solum materiale virtutis, sufficiet ferri indirecte in formale, eritque adhuc actus bonus & ex integra causa: quia bonum est quod appetitur, nisi oppositum probetur, de quo infra.

Quod autem dicit Tann. verum virtutis moralis actum procedere ex prudentia quae respicit honestum, non autem utile: id etiam non convincit: Cur non enim poterit attendi non nisi indirecte ad honestatem: Praecipue cum prudentia extendere se possit etiam ad utile, licet non tanquam ad proprium bonum. Actus autem v. g. indirecte volens abstinentiam, potest dici, quod generet novum habitum: sicut alius est habitus directe noscens patrem, & alius non nisi indirecte attingens eundem.

Quamquam posset dici, quod idem habitus tunc generetur, sicut etiam concedi potest, quod si una honestas directe ametur, & alia indirecte, quod tunc non tam ipsa ametur, quam illud aliud; negando tamen, quod etiam illa alia non ametur, & quod indirecte amata non sit formalisativa bonitatis in actu, licet alio modo.

Bene etiam addit Arriaga, quod si ad gratitudinem sit requisitum dare propter motivum quod petatur ex ipso met accipiente, sequetur, quod pro eleemosyna data, amore Dei, nemo teneretur gratias agere, quia daretur non intuitu accipientis, sed Dei. *interim sic*

PROBARI potest Conclusio: quia si praecognita boni objecti circumstantia non ametur directe, cum possint amari, hoc ipso non esset illa bona actio: negatio enim directi amoris, non posset honestari. Quod ipsum probatur. Negatio amoris directi circa circumstantiam aliquam inhonestam, non potest poni, nisi actione quae in se praecise spectata sit bona: sic v. g. qui nolle comedere carnes sub hac formalitate, quia sunt prohibita, poneret actionem bonam; Ergo etiam negatio amoris directi, verfantis circa circumstantiam aliquam honestam, non potest poni nisi actione, quae in se praecise spectata non sit bona. Et sicut quando nolumus inhonestam circumstantiam, proportionatur actio objecto, estque exinde praecise spectata, bona: ita cum bono improporcionata ponatur actio, nempe nolitio amoris, non erit actio illa bona: quia haec debet esse ex integra causa.

OBJICITUR I. Sufficit ad contrahendam malitiam indirecte appetita malitia; Ergo & ad contrahendam bonitatem sufficiet eandem indirecte appetere.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia si aliquis non nisi indirecte amaret bonum, hoc ipso non esset illa bona actio: quamvis autem non nisi indirecte ametur circumstantia mala, salva-

R.
THE
ziano
Tom
D.

salvari adhuc poterit ratio malæ actionis: malum enim est ex singulis defectibus. Deinde non sunt multiplicanda entia sine necessitate, adeoque nec requisita ad constituendum aliquid in ratione formaliter mali: est autem necessitas, ut bonum sit ex integra causa.

Aliam dat disparitatem Arriaga; quia malum non potest esse aliter volita, quam indirectè: non enim malum ut malum potest amari. Unde infertur id sufficere, ut derivetur in actum; alioqui nullus unquam posset esse actus malus, si non dicamus bonitatem indirectè amari: & si id negemus, non potest tunc dare bonitatem actui; quia habet se planè per accidens respectu operantis, perinde ac si ibi non esset.

OBJICIT 2. Montefino. Si est necesse amare bonitatem propter se; Ergo, qui minus bonum v. g. elemosinam eligit propter Deum, de qui eligit propter eundem Martyrium, non minus merebitur.

RESPONDETUR. Posse tribui ipsis mediis honestatem majorem, quantumvis dici possit, si cetera sint paria, utrumque æqualiter meritorium.

OBJICITUR 3. Ergo Deus, quia non amat objecta virtutum propter illa, sed propter se, non habebit actus virtutum moralium.

RESPONDETUR. Habiturum, quia moveatur etiam honestate.

Quando charitas dicitur forma virtutum, non eo sensu dicitur, quod omnium formale motivum sit, sed quod sine gratia factæ virtutes non sint virtutes formatæ & meritoria. Cæterum quando indirectè aliquid boni volumus, vel volumus ita, ut positivo actu vellemus illud non esse, eo casu, nihil augetur meriti, aliàs nolentes fieremus boni: si autem non refellatur illa bonitas, indirectè tamen appetatur, auget licet non multum meritum.

DICENDUM 2. *Ad contrahendam malitiam sufficit indirectè ferri in circumstantiam annexam.*

PROBATUR. Quia ex communi sensu recepta doctrina, qui novit hanc esse alienam, velletque illam non esse alienam, abutitur autem illa, verè est adulter, & tamen non fertur directè in circumstantiam alienæ. Ergo ad contrahendam malitiam sufficit indirectè voluisse.

Quod ulterius sic resolvit Arriaga, quia non aliud habet objectum materiale voluntas, quam quod amat ut medium utile ad finem intentum, ad finem autem delectationis carnalis quam adulter intendit, non est medium utile quod sit aliena.

Neque tamen sequetur, ut inferebat Cajet. fore infinitas malitias in peccato: Si enim infinitæ non præcognoscuntur, quomodo infinitæ erunt indirectè volitæ? Per hoc tamen non nego transcendentales malitias plures in eodem peccato inveniri.

Utraque Conclusio tandem in hoc princi-

pium redit. Quia cum bonum sit perfectum perfectum autem carens defectu, hoc ipso si habeatur defectus, malum erit, adeoque si habeatur defectus circumstantiæ inhonestæ etiam indirectè volitæ, erit defectus non quidem tantus, nec ita explicitus, atque si ipsa circumstantia inhonestæ directè appeteretur; sufficiens tamen, ne ab illa specie malitiæ extrahatur, malum enim est ex singulis defectibus. Econtrà si non habeatur perfectio directè volitæ circumstantiæ honestæ, refuteturque illa virtualiter, ex circumstantia illa nulla refundetur honestas, ut dictum supra. Si autem non refellatur illa honestas, complacentia in illa ut supponitur deliberata, augebit quidem meritum aliquo modo, sed non constituet in ratione formali illius virtutis, quæ posset haberi, si circumstantia illa directè amaretur; idque ideo, quia si esset ille actus bonus, illoque genere bonitatis, careret defectu in illo genere bonitatis, quo carere illi proprium est, & tamen non caret defectu directi amoris.

DICENDUM est 3. *Circumstantias tenentes se ex parte ipsius actus aliquas non esse prænosendas, ut tribuant bonitatem vel malitiam.*

RATIO. Quia si quis noscat se habere Dei gratiam, si non noscat, habeat illam tamen, semper eliciet opus gratiosum. Dixi aliquas circumstantias, quia si quis se humiliaret nesciens se esse Regem non tantum mereretur. Tunc autem circumstantia. Quis saltem implicite nosci debet, quando defectus notitiæ mutat in sensu prudentum moralitatem.

Circumstantia QUID pro quantitate sumpta, debet etiam esse prævisa & indirectè saltem volita. Ratio, quia si quis furaretur gemmas putans esse pisca, non peccaret tantum, ut volens furari gemmas.

Circumstantia UBI & QUANDO, nisi sit directè volita, nec bonitatem, nec malitiam auget: parum enim refert si die Dominico, si in Polonia, si aliàs furetur quis.

QUANDO tamen sumptum pro duratione si non noscatur, si non noscatur auget moralitatem: majus enim malum, est diutius idem voluisse.

Circumstantia QUOMODO. Si sumatur pro intensione si non noscatur, si non, auget moralitatem: quia si non noscas, si non noscas te amare ut 8. amabis ut 8.

QUIBUS AUXILIIS. Denotat personas & instrumenta: hæc circumstantia interdum præcognita auget moralitatem, ut augetur in Sodomia, si fiat cum persona sacra: interdum non auget: parum enim interest, quo genere ferri aliquis occidatur.

CUR. Sumptum pro fine extrinseco, saltem indirectè prænosci debet.

Ratio, quia cum finis moveat intentionali- ter, quomodo id præstabit sine præcognitione.

DIFFICULTAS III.

An sumatur Bonitas vel Malitia à fine?

PREMITTO I. *Non posse dici, quòd finis sit circumstantia aggravans*: quia hæc est accidentalis, & tamen finis non se habet tanquam accedens, respectu actionis. Non etiam finis est circumstantia mutans speciem, quia primò illam constituit: neque enim in intentione, ante finem, præsupponitur specificatio.

Procedit autem id de fine intrinseco non de extrinseco. Actio exterior respicit finem non nisi tanquam circumstantiam: quia eadem manere potest, ob quemcunq; finem fiat: non erit autem eadem entitativè intentio ex alio fine; respectus enim unius finis, non est respectus alius finis.

PREMITTO 2. *Posse ab una eademq; intentione, duos non solum inadæquatos, sed etiam adequatos fines respici.* Ratio, quia assensus conclusio- nis potest haberi ex duabus præmissis inadæ- quatè concurrentibus, & propter duo motiva æqualia, potest eidem objecto assentiri intelle- ctus, cur non ergo & voluntas. Porro illa plu- ra motiva non se habebunt, ut componentia eundem actum, neq; tanquam partes integran- tes ejusdem, si enim actus indivisibilis est, quo- modo partes componententes habebit? sed erit il- lic non nisi indivisibilis tendentia in plura obje- cta, quæ sunt extrinseca actui: & nec in tenden- tia, nec in se identificantur sibi; ad eum planè modum, quo dum dico, Petrus non est lapis, ead- em indivisibilis entitas est expressio & Petri, & lapidis; licet nec Petrus, nec lapis, inter se iden- tificentur, habentq; se in ordine ad illum actum per modum non nisi termini, & objecti.

Posito autem, quòd diversi fines diversis acti- bus attingantur, illi actus non possunt fieri unum identificatione: quia implicat duo distin- cta realiter identificari: non etiam possunt fie- ri unum, hoc est unitum; non enim ad se ordi- nantur ut materia & forma: nec possunt fieri unum unitate consimili ei, quæ contingit, dum intenduntur gradus spirituales: quia licet loca- liter uniri possint, non tamen unientur unione intensiva: quia illi actus cum sint circa diver- sos fines, sunt diversæ rationis, habentq; se sic- ut frigus & albedo, quæ se non intendunt: & etiam si essent circa eosdem fines conjungeren- turq; non se intenderent: nam intentio red- dit aliquid magis operativum & efficax, ordi- natq; entia ut se invicem juvent, nec æque se bene habent, si sigillatim ponantur. Jam au- tem una intentio non redderet magis operati- vam aliam, nec ordinantur à natura, ut se invi- cem juvent. Hinc nec deposcent simul se- cum stare &c. Et sicut duæ visiones non fa- ciunt magis visum sed pluries, ita & illæ cog- nitiones.

PREMITTO 3. *Nullam actionem humanam esse sine fine.* Ratio, quia omnis actio humana est voluntaria, si voluntaria. Ergo ex præcognitio- ne finis.

DICENDUM est. *Desumi moralitatem actio- nis humane à fine.*

PROBATUR I. Quia actio formaliter mora- lis, accipit moralitatem ab objecto. Ergo & à fine supple intrinseco. Finis enim intrinseco & objectum verbis differunt.

PROBATUR 2. Ex absurdis, quia aliàs seque- retur, omnes actiones esse æquales, à quo enim una præ alia attolleretur, si non ab objecto & fine?

PROBATUR 3. Consensu còmmuni Auctorum.

NO T O I. Quod attinet ad electionem me- diorum; vel intentio boni finis, est causa ele- ctionis boni medii, & sic quòd melius est medium, melior erit intentio; quia medium tunc transit in objectum: Et ita melior est intentio, titulo mortificationis exhauriendi pus, quàm osculan- di terram, vel intentio esset causa electionis ma- li medii, & sic ipsa intentio erit quidem intentio boni, quia supponitur finis ipse esse bonus, sed non erit bona: quia bonum est ex integra cau- sa; non esset autem ex integra causa, si involve- ret mali volitionem. Casu autem quo præscin- dat intentio efficax à mediis; relinquendo hoc scilicet decernendum pro posteriori, si electio fiat mali medii, intentio transacta erit bona; quan- do enim fiebat, erat bona, quando autem facta, non potest non esse facta, qualis facta fuit, adeo- que bona: si tamen adhuc duraret actus, debe- ret non continuari: quia jam non maneret bo- na, accedente scilicet circumstantia malæ ele- ctionis.

NO T O 2. cum Arriaga, si quis habeat bo- num finem, & eligat malum medium, minui malitiam ipsius medii: Ratio, quia quando o- stenditur minui curari malitia, minuitur volun- tarium erga malitiam; hoc autem tum tempori- fit: quia non eligit medium, nisi intuitu finis, qui censetur bonus. De hoc dubio vide Arria- gam D. 15. tota Sect. 6.

NO T O 3. Quid sit sentiendum: An bonitas, vel malitia electionis, præcisè ex mediis suma- tur? Indubiè sumitur ex medio malitia. Et sic si quis velit eleemosynam in sua intentione, & eligat furtum tanquam medium, electio illius est mala, quia est circa objectum malum, prole- quendo illud.

Sed præcisè à bono medio, desumiturq; bo- nitas electionis, & quidem bonitas novæ speciei? Negat Vasq. cum distinctione loquitur Suarez; sed affirmat S. Thom. Tann. & cum illis Arria- ga, d. 15. n. 26.

RATIO, quia potest directè ipsummet illud medium attingi, adeoque potest voluntas illud propter se amare, non per exclusionem, ne re- feratur bonitas illius ad aliud, nempe finem; sed

sed per exclusionem non attractionis directæ, potius illud directè appetendo: & cum etiam medium in se specialem bonitatem habeat, quare illa directè in se appetita, non adferet bonitatem specialem? sicut adferunt bonitates aliae. Er certè melius est eligere martyrium propter Deum sumè dilectum, quàm propter eundem eligere deambulationem; & tamen hic diverfitas venit nonnisi à medio.

Neque valet si dicas, in electione melioris medii, crescere meritum nonnisi ratione intentionis, quæ tunc est intensior; quia nullà positā majori intentione, non repugnat illam bonitatem desumi. Argumentumque factum procedit de tendentia in ipsummet medium melius quàm tale; ad quod per accidens se habet intensior intentio. Urget etiam Arriaga, quòd voluntas pro sua libertate possit amare intensè levem aliquam mortificationem & remissè valde amare aliam longè majorem; nullaque posita melioritate in fine, potest sequi melioritas actus, ex melioritate medii in se appetiti; procurabiturque tunc majus bonum divinum, sed contentum nonnisi in meliori medio: cumque utilitas illius medii in finem, non in fine, sed in ipso medio habenda sit, ex ipso etiam medio, desumetur bonitas major.

DIFFICULTAS IV.

De Actibus essentialiter bonis vel malis.

ASSERO 1. *Actus intrinsecè bonus, seu non idèo bonus, quia imperatur, non potest reddi intrinsecè malus; sed neque actus intrinsecè malus, seu non idèo malus, quia imperatur, potest reddi intrinsecè bonus.* Idem assertum sic alii ponunt. *Dantur actus, quibus essentialis est sua moralitas.*

RATIO 1. est. Quia eo casu & redderetur ille actus non bonus & non redderetur; redderetur quidem ut supponitur; non redderetur autem; quia ad hoc contradictionis membrum verificandum nulla posset adferri sufficiens mutatio: vel enim esset extrinseca, & sic intrinsecè non redderet objectum malum: non etiam intrinseca, quia quocunque intrinseco alio de novo posito, jam non hic actus intrinsecè specatus erit malus, sed alius alia intrinseca dicens.

RATIO 2. est. Quia impossibile est, ut essentia rerum mutentur. Ergo nec actus qui est essentialiter bonus, potest reddi essentialiter malus.

RATIO 3. Quia dantur objecta aliqua immutabiliter bona. Ergo & actus dabuntur immutabiliter boni.

ASSERO 2. *Actum intrinsecè bonum vel malum posse reddi bonum vel malum non moraliter.* Utor potius hac phrasi bonum vel malum non moraliter, ut ostendam eadem intrinseca prædicata manere actus, licet extrin-

secè vitientur. **RATIO** Asserti; quia idem actus manens cum sua intrinseca bonitate potest fieri necessariò; Ergo erit bonus non moraliter: quia actus bonus moraliter debet fieri liberè ut suppono; sed idem actus bonus potest fieri non liberè. Ergo. Quod etiam contingeret in odio Dei, si idem numero fiat in phrenesi, quod fieret in pleno potentiarum usu.

ASSERO 3. *Posse actum intrinsecè bonum supernaturalem reddi extrinsecè malum ratione prohibitionis.* Circa hoc assertum divisi sunt Auctores. Aliqui concedunt accedente prohibitionem posse illum reddi malum; ita docuit Durandus, Capreolus, Vasquez, Tannerus, Hurtado, & post illos Ripalda d. 50. f. 8. Negat autem Suarez, Kon. Granado, Gabriel, & post illos Oviedo Cont. 7. n. 37. Alii autem cum Oviedo n. 45. concedunt actum supernaturalem posse prohiberi non tamen fieri malum. Alii concedunt, quòd aliqui actus prohiberi possint, negant id de actu charitatis, in qua sententia fuit Basil. Legionensis, Lorca.

Et quidem quòd Deus possit prohibere actum supernaturalem.

RATIO. Tum quia, ut urget Ripalda cit. si Deus non posset prohibere actum intrinsecè bonum eumque supernaturalem, id idèo esset, quia non potest odisse bonum, sed sine ullo odio boni potest illum actum prohibere, quod ipsum probat; sine ullo odio actus supernaturalis, potest Deus nolle existentiam actus supernaturalis: libera enim est illius existentia. Ergo & prohibitionem potest illam non-existentiam discernere. Tum, quia nulla in hoc repugnantia, possuntque Deo subesse rationes justæ, quibus moveatur, ad formandum hoc præceptum, v. g. etiam ad exercendum suum dominium circa objectum nullam involvens turpitudinem indignam Deo. Tum, quia per multos ex oppositis potest prohiberi actus naturalis bonus; Ergo prohiberi poterit & actus supernaturalis bonus: immò videtur de facto intercessisse prohibitionem aliquorum supernaturalium: est enim supernaturalis conversio Eucharistica, & tamen illa prohibetur fieri v. g. in peccato mortali, & si fiat, ratione illius prohibitionis, redditur extrinsecè mala.

DICES 1. Si posset prohiberi actus supernaturalis intrinsecè bonus, præceptum illud nullius valoris esset: quia daretur de objecto, quod non est transgressibile: & sicut præceptum datum Petro ut sit homo, est præceptum nullius valoris; independentem enim ab omni prohibitionem oppositum non potest fieri: sic etiam supposita prohibitionem actus supernaturalis, non posset jam fieri supernaturalis actus; involveret enim turpitudinem, cujus Deus specialis causa esse non potest.

RESPONDETUR. Negando quòd tunc involveret ille actus supernaturalis turpitudinem

intrinsecam, sed haberet nonnisi extrinsecam turpitudinem ratione prohibitionis; idem enim invariatus actus posset manere, etiamsi non foret prohibitio. Unde ad illum actum secundum illius intrinsecam, posset specialiter concurrere Deus, licet ad complacentiam in transgressione illius præcepti, Deus tanquam specialis causa, concurrere non posset. Specialitas porro in præfenti non in hoc stat, quod ad illum actum concurreret Deus cum inclinatione, sed quia concurreret concursu excedenti, quem tamen quantum ex illo nollet tunc fieri: sicut nollet quantum ex se Deus, ut fiat conversio Eucharistica, in mortali.

DICES 2. Non potest explicari, foretne ille actus intrinsecè malus?

RESPONDETUR. Non fore intrinsecè malum. Ratio, quia eadem in individuo conversio Eucharistica, posset fieri in gratia. Fore autem illum actum extrinsecè malum. Ratio est. Tum, quia actus qui procedit secundum merita objecti, & nihilominus ultra illa sua prædicta, habet aliquam dissonantiam, est actus extrinsecè malus, sed ille actus est talis, ut probatum supra, habetq; annexam transgressionem præcepti; Ergo est extrinsecè malus. Tum, quia actus bonus, qui fit ob finem vanæ gloriæ, est extrinsecè malus; Ergo idem in præfenti dicendum. Tum, quia malitia separabilis ab actu, est malitia extrinsecam, sed illa malitia est separabilis ab actu: manens enim idem in entitate actus, posset fieri, si non esset prohibitio.

DICES 3. Si actus supernaturalis esset extrinsecè malus, posset etiam esse extrinsecè malus actus amoris Dei: hoc non potest dici, quia actus qui est conformis ultimo fini non potest prohiberi, ille actus est conformis ultimo fini. Ergo

RESPONDET Ripalda. Actum dilectionis non esse conformem ultimo fini: ita ut excludat omnem difformitatem etiam offensæ venialis; licet excludat offensam mortalem: Quod si non excludit offensam venialem, poterit sub illa prohiberi.

DICES 4. ex Oviedo. Posita cognitione præcepti prohibentis illum actum, non potest esse ille actus honestus, destruiturq; objectum illius honestum. Quod ipsum probatur. Quia objectum talibus circumstantiis affectum honestum non est; quia honestas ut sic, excludit quamlibet malitiam. Jam autem virtus eo ipso, quod inclinet ad hanc specificam honestatem, inclinat ad rationem communem honestatis, quæ dicit carentiam omnis turpitudinis.

RESPONDETUR. In primis retorquendo argumentum, qui scilicet fieri possit, ut imperetur ab actu malo, actus bonus. Neque valet si dicas, disparitatem esse, quia actus imperans præcedit imperatum: Sic enim & malus finis, & notitia præcepti, & volitio transgrediendi pot-

est præcedere actum supernaturalem. Directe autem dici potest, quod honestas ut sic, honestas inquam simpliciter, excludat malitiam ut sic; licet non excludat omnem malitiam honestas ut sic, communis ad honestatem simpliciter, & honestatem secundum quid. Tu autem nondum probas non dari honestatem ut sic, communem ad honestatem simpliciter, & honestatem secundum quid.

INSTABIS 1. Illud objectum judicatur simpliciter honestum, quod est conveniens homini ut rationali, & quod hic & nunc omnibus pensatis consonum est rationi; Ergo, eo ipso, quod objectum habeat circumstantiam prohibitionis, hic & nunc non censetur honestum.

RESPONDETUR. Instantiam esse præter suppositionem: negamus enim esse illud objectum honestum simpliciter; quia non est exclusivum omnis turpitudinis, sed est honestum, si sumatur præcisè actus secundum motivum suum intrinsecum.

INSTABIS 2. Etiam si circumstantia cadat supra actum, & non supra objectum extrinsecè tamen afficit objectum, & facit ne objectum hic & nunc proponatur, ut honestum: quia ad hoc ut objectum honestè ametur, non est judicandum tantum cum honestate quasi intrinsecam, sed etiam cum extrinsecam honestate objecti, ita ut judicetur hic & nunc ex omni capite capax esse terminandi actum simpliciter honestum, quod potest judicari, dum judicatur actum ad ipsum terminatum, fore inhonestum.

RESPONDETUR. Posse tunc proponi objectum ut honestum intrinsecè; quod enim semel est honestum intrinsecè, semper est honestum intrinsecè cum hoc tamen stat ut judicetur inhonestum extrinsecè. Nego autem requiri ad honestatem intrinsecam, ut judicetur actus etiam extrinsecè honestus.

INSTABIS 3. Implicat voluntatem tendere in objectum propter sui honestatem, dum cognoscitur hanc esse quasi extrinsecè impeditam, ad seipsam actui communicandam; hoc autem tum temporis fit.

RESPONDETUR. Etiam tunc tendi in objectum propter illius honestatem, non per exclusionem omnis turpitudinis, sed per inclusionem honestatis intrinsecæ, in seipsa directe attractæ. Negoque tunc non posse actui honestatem intrinsecam communicari.

DICES 5. Quando objectum indifferens prohibetur, jam non manet indifferens; Ergo nec actus supernaturalis prohibitus, erit bonus.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia nomine objecti indifferens venit objectum, ne extrinsecè quidem prohibitum: Nego autem quod nomine actus intrinsecè boni veniat actus, ne quidem extrinsecè prohibitus. Quamquam rigoroſe loquendo objectum de se indifferens,

ferens, nunquam redditur intrinsecè malum, cum actus circa illud, posset fieri idem in entitate bonus. Illud quod in tali peccato habet intrinsecam malitiam, est non obedire superiori, quod objectum non est indifferens ad malitiam.

Videtur tamen esse specialis turpitudine, ut sit actus extrinsecè malus, & tamen supernaturalis.

ASSERO 4. *Aliquem actum non posse reddi malum extrinsecè malitiâ mortali.*

RATIO, quia tale præceptum in aliquo actu esset impossibile transgressu. Quod ipsum probatur, quia non posset illud præceptum transgredi quisquam mortaliter nisi habendo illum actum; sed datur talis actus, qui non potest haberi, quando est mortalis prohibitio; nempe actus amoris super omnia, quia hic actus non stat cum mortali.

ASSERO 5. *Aliquem actum non posse reddi malum extrinsecè etiam malitiâ veniali.* Talis actus est v.g. nolle etiam venialiter transgredi præcepta Dei.

RATIO. Quia habens talem actum, & peccaret venialiter, ut supponitur, transgredere-
tur enim præceptum sub veniali; & non peccaret; quia actu qui ne venialiter quidem peccare vult, non peccatur venialiter.

ASSERO 6. *Actum intrinsecè malum posse esse extrinsecè bonum.*

RATIO. Quia ex intentione bona potest eligi malum medium v.g. furtum ad dandam elemosinam; & cur tunc non erit actus ille extrinsecè bonus?

ASSERO. *Actum externum eundem posse de malo in bonum, de bono in malum transire.*

RATIO. Quia unus idemque actus externus potest nunc à bona, nunc à mala voluntate imperari.

DIFFICULTAS V.

An unus idemque actus possit bono & malo motivo simul moveri?

ASSERO 1. *Impossibile esse unum eundemque actum esse intrinsecè bonum & intrinsecè malum ratione ejusdem intrinsecè predicati.* Ratio, quia verificarentur tunc duo prædicata contradictoria, de eodem, ratione ejusdem: nempe non esse bonum, esse bonum.

ASSERO 2. *Possibile esse unum eundemque actum, moveri motivo intrinsecè bono & motivo intrinsecè malo.* Est assertum post alios Oviedo cit. n. 36. post alios contra Arriaga d. 21. n. 10. & contra Elparza & Rosmer.

RATIO. Quia ex una parte potest unus idemque actus, ut suppono ex Animasticis, pluribus motivis moveri, & ex alia parte nulla est repugnantia, quæ prober illa motiva conjungi secum non posse. Deinde, quia si ali-

quid obstarat asserto, maximè obstarat, quòd bonum debeat esse ex integra causa: sed hoc non obstat: quia quamvis aliquo orto defectu non possit esse denominatio simpliciter boni, inde non sequitur, quòd nihil jam boni habere possit; sic v.g. quamvis aliquis non possit denominari sanus, qui laborat dentibus, cum hoc tamen stat, quòd possit habere sanos oculos. Argumentum item negativum non tantum non respuit, sed etiam deponit præmissam unam affirmativam: peccatum ipsum supposito, quòd in negativo consistat, formaliter non respuit entitatem physicam actus; & sic de reliquis. Ergo nec malitia motivi deponet exclusionem motivi boni.

Quod autem dicit Arriaga, contingere posse v.g. sanitatem in uno membro, aegritudinem in alio; quia illæ partes sunt distinctæ realiter, non convincit. Nam quòd potest esse ratione partium distinctarum realiter, cur non potest esse ratione etiam finium, & motivorum distinctorum realiter? Et sicut unum eundemque realem actum potest specificare ens & non ens; ut si dicam indivisibili actu, ens dicit negationem non entis: cur etiam eundem actum specificare non poterit duplex motivum bonum & malum.

ASSERO 3. *Actum illum non fore simpliciter bonum.*

RATIO. Quia bonum simpliciter, est simpliciter perfectum, perfectum simpliciter, est simpliciter carens omni defectu: ille autem actus, non careret simpliciter omni defectu: haberet enim defectum aliquem, includendo scilicet etiam malum motivum. Imò actus ille erit simpliciter malus: quia idem in entitate non poterit poni, ut sit simpliciter bonus; licet possit etiam appellari secundum quid bonus, ratione alius boni motivi: ad eum modum quo aliquis dicitur simpliciter æger, licet secundum quid v.g. secundum aurículas sit sanus.

DICES 1. cum Suarez. Non potest derivari honestas nisi propter se ametur: tunc autem propter se non amatur; non enim potest apprehendi honestas in objecto vitioso ceteroqui.

RESPONDETUR. Sub diverso respectu apprehenditur illud objectum ut bonum, & propter se amatur illa formalitas.

DICES 2. cum eodem. Omnis honestas regulatur per prudentiam; prudentia autem excludit omnia mala, etiam accidentalia.

RESPONDETUR. Etiam tunc prudentia excludit illam malitiam, sed solum dicitur, illam alteram honestatem esse bonam; hæcque pendet à prudentia; formalitas autem mali motivi opponitur prudentiæ.

DICES 3. ex Arriaga. Eadem indivisibilis entitas, non potest respectu ejusdem hominis simul & semel prohiberi, & mandari: Ergo nec habere motivum bonum & malum.

RESPONDETUR. Unam eandemque indivisibi-

P.
ALOD
WSKI
A. e. Z.
VI

visibilem entitatem, excludentem diversas formalitates, connotationes, non posse & prohiberi, & mandari: sed ratione diversarum formalitatum, potest id stare.

Eundem medium terminum sic proponit Rosmer. pag. 425. Non potest eadem indivisibilis entitas placere Deo, & simul eidem displicere: non potest Deus velle efficaciter, ut eadem indivisibilis entitas ponatur à parte rei, & simul nolle efficaciter quantum est ex se, ut non ponatur à parte rei. Sed ex dictis

RESPONDETUR. Unam eandemque indivisibilem entitatem, ratione diversarum formalitatis posse placere & displicere Deo: posse sub una formalitate efficaciter appeti, sub alia efficaciter respui: licet non possit dici, quod simpliciter appetatur efficaci voluntate illa actio; cum negemus illam esse simpliciter bonam.

DICES 4. Cum eodem Rosmer, ut aliquod objectum sit adæquatè honestum, non sufficit, ut secundum se consideratum habeat honestatem objectivam; sed præterea ut excludat omnem circumstantiam malam.

RESPONDETUR. Cum illud objectum per nos non sit simpliciter bonum, nec etiam est adæquatè honestum.

INSTAT Idem. Ex asserto sequitur, quod homo non est obligatus ad vitandum peccatum, & quod esset obligatus ad vitandum actum honestum quā talem: quod implicat. Sequela probatur. Qui non est obligatus ad aliquid vitandum, non potest esse obligatus ad vitandum id, quod est necessariò & essentialiter connexum cum illo; hinc qui non est obligatus ad prosequendum efficaciter aliquem finem, non est obligatus, ad effugiendum unicum medium, necessarium ad illum finem consequendum. Atqui homo non est obligatus ad vitandum illum actum quā honestus est formaliter; Ergo neque erit obligatus ad vitandum eundem quatenus malus est. Sequitur etiam, quod esset obligatus ad vitandum illum actum quatenus honestus est: quia est ad vitandum peccatum obligatus, quod illic reperitur.

RESPONDETUR. Negando sequelam & quamvis qui non est obligatus ad aliquid vitandum, non potest esse obligatus ad vitandum id, quod est necessariò & essentialiter cum illo connexum, si illud connexum non habeat diversam suam moralitatem, ut medium quā medium, non habet diversam bonitatem à fine; & si illud connexum non sit tale, quod licet quidem per libertatem connectatur, ita tamen ut deponat unum motivum, quantum est ex illo, non connecti cum illo alio motivo. Jam autem motivum malum & habet diversam moralitatem, & motivum bonum, quantum est ex illo petit non conjungi cum malo motivo.

DICES 5. cum Esparza ex Matth. 7. ubi dicitur, non posse arborem bonam malos fru-

ctus facere, colligitur ex bona intentione non posse proficisci nisi bonam electionem, & bonum moraliter opus. Ergo electio & opus procedens ex intentione bona, non est bonum & malum simul, sed bonum tantum. Ipsa etiam intentio non potest esse bona simul & mala: quia aliàs divisio tradita à Spiritu S. dictis locis esset inadæquata, si ultra intentionem tum bonam tum malam, superesset tertium intentionis genus, quæ bona simul esset & mala.

RESPONDETUR. Etiam intentio bona sub sua formalitate bona, non ponit electionem nisi bonam, quantum ex sua parte præcise. Quamvis autem intentio non possit esse bona simpliciter, & mala simul; potest tamen esse bona secundum quid. Quod autem illa divisio sit adæquata & doctrinalis, inde deducitur, quod adhuc talis intentio dicenda erit simpliciter mala: unde ad membrum, quod est intentio mala revocabitur. Deinde nego intendisse Spiritum S. tradere divisionem adæquatam, sed voluisse proponere doctrinam vulgarem cæteroqui, de divisione actus meritorii & demeritorii, boni & mali. Denique posito etiam quod intenderit Spiritus S. dare divisionem adæquatam: nego quod dederit per ultimata jam membra, reliquitque Theologis reliqua membra: hinc membrum illud, quod est malum, potest subdividi in malum exclusivum omnis omnino bonitatis, & non exclusivum omnis bonitatis.

INSTAT idem primò. Dupliciter potest moveri voluntas sine. Inprimis, ut sit aliquid tanquam removens, prohibens, nec directè appetitum. Secundò potest movere positive, tanquam influens in actum ratione sui formaliter. Ex priori illa causalitate, nulla in actum redundat moralitas; quia libertas est de conceptu moralitatis: cum ergo finis & causalitas tota existat independentè à libertate operantis, nec insit ipsi libera facultas, illam impediendi, nulla profectò moralitatis species, potest inde redundare in actum, qui sequitur. Ex posteriori autem modo, evadit actus moraliter bonus, sine existente honesto; & malus moraliter eodem existente inhonesto, & quidem bonitate vel malitià adæquatè intrinsecà actui, quod ipsum probat, quia actui liberè elicito, est adæquatè intrinseca omnis ratio libertatis, quæ exercetur per ipsam.

RESPONDETUR. Actui liberè elicito est adæquatè intrinseca omnis ratio libertatis, per exclusionem omnis exercitii, & usus libertatis per diversum motivum. Nego: est adæquatè intrinseca, hoc est, non petibilis ab extrinseco. Transeat: De hoc enim, in præsentem non quaritur, sed infra. Deinde assumit aliqua, quæ non convincunt: nam assumit, quod directè appeti debeat circumstantia mala. Non satis etiam liquet, quomodo causalitas finis tota existat independentè à libertate operantis. Denique cum

ly adæquata actui libero elicitio, adæquata inquam intrinsecè, sit per illum omnis libertas, ubi ly adæquata per illum excludit motivum malum; nescio cur idem ly adæquata non excludat etiam motivum bonum, secundum vel tertium concurrens ad eundem actum, quod alias probatum.

INSTAT 2. Commune est Dionysii Axioma, *Bonum est ex integra causa*: quod ita est accipiendum, ut negetur aliquam relatè ad aliquod objectum bonitatem moralem, posse convenire actui, cui convenit aliqua ratio malitiæ, imputabilis operanti propter eundem actum: quia actus ut habeat bonitatem aliquam moralem, relatè ad aliquod objectum, necesse est ut placeat Deo: nullum autem objectum potest placere Deo prout conjunctum cum objecto malo.

RESPONDETUR. Bonum positum in Axiomate est bonum sine addito, si sine addito, ergo

simpliciter bonum: non negamus autem bonum simpliciter, esse ex integra causa: hinc & prædictum actum non dicimus esse bonum simpliciter; cæterum quid repugnat esse aliquod bonum secundum quid? & si in physicis datur sanum secundum quid, coloratum secundum quid; si in Logicis & Animasticis dantur formalitates attingentiarum diversi objecti, intra eandem entitatem actus: demonstrabile item secundum quid: cur non dabitur etiam bonum secundum quid? Quod ipsum in hoc fundatur: quia fieri potest ut duo aliqua inter se conjungantur, neque tamen unum agat in aliud, destruatque ipsum: consequenter ut se duo illa compati possint; non apparet autem quomodo motivum malum, agat in motivum bonum. Quod si datur bonum secundum quid, non debet dari ex integra causa, hoc ipso enim non esset bonum secundum quid, si esset ex integra causa.

DISPUTATIO VII.

De Prædicato Actuum humanorum, quod est Libertas.



Voluntatem humanam libertate pollere probant contra hæreticos Controversistæ, & præstitum est in Ethicis. Et certè nullæ deberent assignari pænæ pro malè factis, & nulla præmia, si nemo libertate peccat, sed necessitate. Nullusque virtuosus est, si necessitatio talis est. Ut reliqua explicantur.

PRÆMITTO 1. *Spontaneum & Liberum rigore loquendo distincta esse*. In primis ratione subsectorum quibus conveniunt: nam spontaneum etiam brutis convenit: liberum non convenit, ut Aristoteles 3. Moral. c. 4. *Ejus, inquit, quod spontaneum vocant, participes sunt pueri & animales alia*. Item distinguuntur ratione terminorum quibus opponuntur: spontaneo enim opponitur coactio & violentia, non opponitur necessitas: & ita spontè canis appetit cibum, hoc est non coactè nec violentè; & tamen necessitatio: liberum autem opponitur necessario & coactio.

PRÆMITTO 2. *Spontaneum appropriari in rebus entibus rationalibus*: ut illud appropriat Aristoteles 3. Moral. c. 3.

PRÆMITTO 3. *Libertatem posse à nobis concipi secundum quod in re est, & sic non aliud est, quam potentia libera: vel ipsum exercitium libertatis*. Secundò possumus concipere libertatem tanquam formalitatem quandam ex modo con-

cipiendi concretescentem cum potentia & actu, facientemque concretum hoc, quod est liberum, formando scilicet illud & differentiando. In hac posteriori consideratione vix aliqua de libertate attingentur. Ut sub priori consideratione explicetur. *Sit*

QUÆSTIO I.

De Libertate secundum se.

Quæremus in primis, quid definitivè Libertas? Deinde, an esse liberum sit prædicatum essentiale & intrinsecum actui?

DIFFICULTAS I.

Quid definitivè Libertas?

DEFINENDUM est. *Definitivè Libertatem esse Potentiam, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest agere, vel non agere oppositum*. Si autem displiceat ista enumeratio: sufficiet dicere quòd libertas sit Potentia, positis omnibus prærequisitis indifferens ad operandum. Si autem spectetur libertas in actu, tunc sic definitur, quòd sit actus, qui positis omnibus prærequisitis ad operandum, poterat non esse.

PROBATUR 1. Definitio Auctoritate.

1. AUCTORITAS est. Aristotelis ex 9. Metaph. c. 5. & c. 7. inquit: *Cui nihil addendum tollendumve sit, ut agere vel non agere possit*. 3. Ethic. c. 5. In quibus, inquit, in nostra potestate situm est agere,

P.
1. LOD
WSKI
A. et Z.
VI